

Johann Gottlieb Möller Zacharias Hasselmann


De Seculi V. Scriptoribus Philologis; Et Seculi VI. Scriptoribus Ecclesiasticis, ac Philosophis; Ex Chronologico Illustris Viri, Hermanni Conringii, de Universae Eruditionis a N. C. Propagatione, Eiusdemq[ue] Scriptoribus, Commentario, Nunc Primum e Msc. A Se Edito, in Disputatione Philologico-Philosophica, d. XXX. Januarii A. C. M DC XCIIIX. In Maximo Athenaei Gedanensis Auditorio, Jesu Gratia Moderante, Solenniter instituenda, placide disquiret,

Gedani: Stollius, 1698

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn79646345X>

Druck Freier  Zugang





B6-1053^{1-31.}

Ex
Bibliotheca
Academiae
Rostochiensis

2.
3.
4.
5.
6.
7.
8.
9.
10.
11.
12.
13.
14.
15.
16.
17.
18.
19.
20.
21.
22.
23.
24.
25.



9.
DE
SECVLI V.
SCRIPTORIBVS PHILOLOGIS;

Et
SECVLI VI.
SCRIPTORIBVS ECCLESIASTICIS,

ac PHILOSOPHIS;
Ex CHRONOLOGICO

ILLVSTRIS VIRI,
HERMANNI CONRINGII,

de *UNIVERSÆ ERUDITIONIS à N. C. PROPAGATIONE,*
ÆJUSDEMQUE SCRIPTORIBVS, COMMENTARIO,
NUNC PRIMUM à MSC. A SE EDITO,

in

DISPUTATIONE PHILOLOGICO-PHILOSOPHICA,

d. XXX. Januarii A. C. M DC. XCIIX.

IN MAXIMO ATHENÆI GEDANENSIS AUDITORIO,

JESU GRATIA MODERANTE,

Solemniter instituendâ, placidè disquiret,

PRÆSES

JOH. Gottlieb MOLLERUS,

D. PP. D. & Bibliothecarius.

Respondente

ZACHARIA Hasselmann/ Rostochiensis.

G E D A N I,

Typis JOHANNIS-ZACHARIÆ STOLLII.

VIRIS

PLURIMUM REVERENDIS, AMPLISSIMIS:

DN. JOHANNI FALCKIO;
DN. ALBERTO POMIAN PESAROVIO;
DN. M. JOHANNI CHRISTOPHORO
ROSTEUSCHERO;

DN. M. MICHAELI ULMITZ;
SUMME VENERANDI GEDANENSIVM ECCLE-
SIARVM MINISTERII

MEMBRIS MAXIMOPERE SUPICIENDIS;
SYMMYSTIS PRO VERITATE EVANGELICA VIGILAN-
TISSIMIS, DEQ; ECCLESIA CHRISTI OPTIME
MERITIS;

nec non

SPECTATISSIMIS, INTEGERRIMIS:

DN. DANIELI BUNCKIO,

CENTUMVIRO PRUDENTISSIMO;

DN. BALTHASARI SCHENDEL;
PHARMACOPOLÆ IN PHARMACOPOLIO S. REGIÆ MA-
JESTATIS POLONICÆ FLORENTISSIMO;

DOMINIS PATRONIS, MÆCENATIBUS, ac FAU-
TORIBUS, DEVOTO ANIMI CULTU AD URNAM
USQUE DEVENERANDIS;

Hanc Dissertationem Philologico-Philosophicam
submissa pro tot tantisque in se collatis beneficiis re-
verentia Symbolum, ulteriorem Eorundem sibi favo-
rem conciliaturus, cum voto absolutissima prosperitatis

Dat, Dicat, Dedicat

Zacharias Hasselmann / Rostochiensis.

CAPUT. V.

De

PHILOLOGIS.

I. **I**Nter Historicos hâc ætate Gentiles, aut sanè rerum civilium Scriptores, solus penè nomen aliquod consecutus est *ZOSIMUS* ille, quem supra diximus, *Eunapianæ Historiæ* Epitomatores esse, Christianæ verò Religionis infensissimum Hostem. Hunc autem legant in primis illi, qui ad Politicam adspirant prudentiam.

II. Sub finem Seculi floruit *M. AURELIUS CASSIODORUS*, *THEODORICI*, Ostro-Gothorum Regis in Italia Cancellarius, seu potiùs Secretarius. Fuit quidem hic tum temporis satis doctus, sed, si cum aliis illum conferas, parvi momenti; spatio enim L. annorum omnis Eruditio in Italia, Hispania, & Gallia, penè fuit deleta. Quanquàm etiam *Historia* ejus *Tripartita* maximè nota sit, meretur tamen & hîc memorari, propter Fastos Consulares. *ECCLĒSIATICORUM* porrò *HISTORICORUM*, *SOCRATIS* & *SOZOMENI*, non est, cur hic iterum velimùs meminisse, etiamsi illorum scri-

16.

17.

18.

19.

20.

24.

scripta longè digniora sint lectu, quàm illa ZOSIMI aut
CASSIODORI.

III. EX POETARUM ordine, unus præ multis est,
CLAUDI ANUS, HONORII temporibus, quippe
qui omnes à Virgiliti usque ætate carminis felicitate
quàm longissimè superavit; Patriâ Ægyptius dicitur,
& primus Panegyricos carmine scripsit. Fuit etiam græ-
co carmine clarus *CYRUS THEODORUS PRO-
DROMUS*, hoc nomine *EUDOXIÆ AUGUSTÆ*
carus, limò ipsa etiam *EUDOXIA*, & *PROBA
FALCONIA*.

IV. RHETORUM, qui hac ætate floruerint, in-
certum est, nisi, quod *THEON* & *APHTONI-
US*, Sophistæ, Progymnasmatum Rhetoricorum
Scriptores, hûc videantur pertinere.

V. Postremo, THEODOSIO Cæsare, vixit *RENA-
TUS VEGETIUS*, *Mulo-medicinæ*, seu artis vete-
rinarïæ Scriptorum princeps.

VI. Hoc seculo vixit *S. BENEDICTUS*,
qui Pater est omnium Monachorum in Occidente.
Exstruxit enim primus in Italia Monasterium, ad
cujus

cujus exemplum exstructa sunt alia in Hispaniâ, Gallia & aliis locis. Hic conatus est bonas literas servare in monasterio, sed infelici successu; hoc enim seculo nec prima grammatices fundamenta novērunt, quod ex Casiodori modo docendi, quem is præscripsit, liquet.

VII. Illo denique tempore *BOETHIUS* multa Philosophica vertit in Latinum Sermonem.

SECULI VI.

CAPUT I.

De

SCRIPTORIBUS ECCLESIASTICIS.

I. **S**exto Seculo omnis HISPANIA & GALLIA mansit in ditione Germanicorum populorum, omnis doctrinæ expertium, quique devastatis omnibus, omnem quoque Eruditionem, tantum non penitus pessunderunt. ITALIA recuperata quidem est per JUSTINIANUM IMPERATOREM, iterum tamen statim fuit amissa, loco Gothorum eam occupan-

16.
17.
18.
21.
22.
24.

pantibus Longobardis. In AFRICA quoque per Eundem, Vandalorum potentia fracta quidem est, sed ibi omnia jam conciderant, ita, ut Eruditioni vix quisquam superfuerit locus. Sola GRÆCIA & ASIA cum ÆGYPTO à superioribus cladibus aliquantulum respiraverunt, præ Gentium tamen illarum ignavia & luxuria, cum primis verò, quòd per JUSTINIANUM IMPERATOREM pessimo consilio Eruditis ac Doctoribus stipendia publica essent detracta, non multum valuit Eruditio, præsertim apud eos, qui Christiani volebant haberi.

II. Habuit tamen AFRICA initio hujus seculi S. *FULGENTIUM RUSPENSEM; PETRUM DIACONUM; FULGENTIUM FERRANDUM, CARTHAGINENSEM; EUGYPIUM*, Abbatem illum, qui in unum collegit omnes optimas Augustini sententias; *VICTOREM DIACONUM UTICENSEM; ac JUSTUM ORGELLITANUM; JUNILIUM*; nec non *PRIMASIVM*; omnes Africæ Episcopos. Notandum autem venit, omnes hosce Scriptores, non tantum scripsisse, si omnia eorum colligas, quantum unus *AUGUSTINUS*, vel *HIERONYMUS*.

III. Ha-

III. Habuit etiam Italia usque in L. hujus seculi Annum, *ENNODIUM* *DIACONUM*, *DIONYSIUM EXIGUUM*, Abbatem, *Cycli Paschalis* & *Aera vulgaris Christianorum* Auctorem, non minus pietate quam eruditione clarum; *VICTOREM* denique *CAPUANUM EPISCOPUM*; ac *ARATOREM*, qui *Acta Apostolica* carmine reddidit.

IV. Ornauerunt hujus seculi initia in Italia etiam *BOETHIUS*, quo in tantâ barbarie nemo melior, ne antè quidem, in latina Philosophia scripsit; & *M. AURELIUS CASSIODORUS*; sed horum jam supra mentionem fecimus.

V. In *GALLIA* vixit circa Annum *DXX.* unus, *ALCIMUS ECDICIUS AVITUS*. Nihil melior *ASIAE* & *GRÆCIAE* status; Nam Anno *DXX.* unus, *JOHANNES MAXENTIUS*, Monachus Antiochenus; *XX* annis post, soli ibidem *LEONTIUS BYZANTINUS*, Monachus; atque *ANASTASIUS SINAITA* flourerunt.

VI. Cæterum, post annum *L.* hujus seculi flourerunt *CONSTANTINOPOLI*, *PROCOPIUS*
GA.

16.

17.

18.

19.

20.

24.

GAZÆUS, & JOHANNES CLIMACUS;
In *AFRICA LIBERATUS*, Archi-Diaconus Car-
taginensis, in *GALLIA VENANTIUS HONO-*
RIUS CLEMENTIANUS FORTUNATUS,
Carminum & Vita S. Hilarii scriptor.

VII. Sub Finem denique hujus seculi habuit
CONSTANTINOPOLIS unum, *EVAGRIUM*,
Historicum Ecclesiasticum; *GALLIA* autem unum,
GREGORIUM, TURONENSEM Episcopum,
qui, licet numero sat esse multi videantur, omnes
tamen eruditione fuerunt valdè exigua, ac paucissima
reliquerunt monumenta; uno verbo, pii magis quàm
docti.

CAPUT II.

De

PHILOSOPHIS.

I. **S**eculi hujus initio usque ad Annum L. haud
sparùm in *ATHENIENSI & ALEXANDRINA* SCHO-
LA floruit Philosophia, per *PROCLUM LYCIUM*
sub

sub finem præcedentis seculi eleganter excitata; præfertim, quòd in eam rem anniterentur præ odio Religionis Christianæ, illi, qui adhuc supererant de Gentilismo. Fuit itaque PROCLI Successor ATHENIS, *MARINUS NEAPOLITANUS*, ille, cujus hodiè exstat *Vita Procli*, & celebre in Geometricis *Opus Datorum*. Magis tamen ALEXANDRIAM ornavit *AMMONIUS*, HERMIÆ Filius, ac ARISTOTELIS interpres, alter PROCLI Discipulus. Sed & tertius ejusdem Auditor, *DAMASCIUS DAMASCENUS*, valde magnum Nomen impetavit.

II. JUSTINIANO IMPERATORE floruerunt, *PRISCIANUS LYDUS*, & *SIMPLICIUS*, hostes Religionis Christianæ; quorum tamen hic imprimis clarum nomen meruit doctissimis in ARISTOTELEM *Commentariis* conscriptis. AMMONIUM quoq; audivit *JOHANNES PHILOPONUS*, à diligentia dictus, qui tamen in Alexandrinâ Scholâ non Philosophiam, sed Grammaticam docuit, nobilis cæteroquin Aristotelis etiam Commentaror.

III. Per-

III. Pertinet hûc etiam *OLYMPIODORUS ALEXANDRINUS*, qui & in nonnulla *PLATONIS*, & *ARISTOTELIS Meteorologicos Libros* commentatus est; fuit quippe *AMMONII* Nepos. Quin etiam pertinere ad hoc seculum videtur *MAGEN- TINUS*, Nicenus Metropolita, quem secundum post *JOHANNEM PHILOPONUM*, habemus Christianum *ARISTOTELIS* commentatorem.

IV. Philosophis denique meritò accensendus est *EUTOCIUS*, Aſcalonita, subtilissimorum *ARCHI- MEDIS* operum commentator, quippe qui scripta sua *AMMONIO*, *HERMIÆ* Filio, censenda transmi- sit.

ADDITAMENTA

Declarando Auctoris Textui inservitura.

I.

Quotquot ex monito Auctoris S. V. C. 5. n. 1. prudentem ZOSIMI lectionem, sibi aliisque commendatam esse volunt, præmunito ad eandem animo accedant, probè gnari, quod: ZOSIMUS totus in Christianæ Religionis pietate oppugnandâ, Principibusque Romanis, qui & initiati fuerant, lacerandis versetur; Ideo sæpè falsa scribens indignus sit Historici Nomine, à quo amor & odium abesse debent, ut veritati locus sit; Utilis tamen sit, quòd pleraque, aut ab aliis non scripta, aut temporum injuriâ amissa, persequatur; ceu optimè quondam Sigonius de Hist. Lat. judicavit.

II. HISTORIA TRIPARTITA, quidnam adminiculi Ecclesiasticæ Cultoribus Historiæ præstare queat, ipsa CASSIODORI, Senatoris, servi Dei, in Historiam Ecclesiasticam, quam Tripartitam vocant, ex tribus grecis Autoribus, Sozomeno, Socrate, & Theodoreto, per Epiphanium Scholasticum versis, excerptam, & in compendium à se redactam (ut tituli verba habent;) Præfatio optime poterit docere, quippe in quâ hæc alia inter Auctor habet: Historiam Ecclesiasticam, qua cunctis Christianis valdè necessaria comprobatur, à tribus grecis autoribus mirabiliter constat esse conscriptam; uno scilicet THEODORETO, venerabili Episcopo, & duobus disertissimis Viris, SOZOMENO & SOCRATE, quos nos per EPIPHANIAM Scolaſticum, latino condentes eloquio, necessarium duximus, eorum dicta deslorata, in unius styli tractum (Domino juvante) perducere, & de tribus autoribus unam facere dictionem. Scien-
dum

16.

17.

18.

229

22

24.

Additamenta declarando Auctoris Textui inservitura.

dum planè, quod prædicti Scriptores à temporibus divæ memoriæ Principis Constantini usque ad Augustæ recordationis Theodosii junioris, quæ sunt gesta, digesserint. Nos autem eorum relectis operibus, & unumquemque cauta mente tractantes, cognovimus, non equaliter omnes de unaquaque re luculenter ac subtiliter explanasse, sed modo hunc, modo alterum, aliam partem melius expedisse. Et ideo judicavimus de singulis dictatoribus deslorata colligere, & cum auctoris sui nomine in ordinem collocare. Legat ergo intrepidus, qui ad hæc opuscula (Domino donante) pervenerit, multum utilitatis atque notitiæ lucraturus, si, quæ posita sunt per hos duodecim Libros, memoriæ suæ sollicita mente condiderit. Præterea, ne quempiam res indistincta turbaret, per univèrsam Textum hujus operis titulos cognoscat appositos, ut suis locis exigere possit, quod sub numero competentis prædictum esse cognoscit.


COROLLARIA PNEUMATICA.


I. Recepta illa Divinam Essentiam, quoad Conceptum Ejus primum, & Conceptus secundos. Attributorum communiter nomine venientes, considerandi methodus, de summa Dei perfectione, nostrique intellectus imperfectione, luculenter testatur.

II. Hinc, cum nihil Deo imperfectionis tribuat, commodè poterit retineri,

III. Intelligimus enim per ATTRIBUTA DIVINA, conceptus secundos, ex primo Spiritualitatis independentis conceptu fluentes, tam ab essentia divina, quam à se invicem, non realiter, sed ratione ratiocinatâ differentes; quibus perfectiones Divinæ, nostro concipiendi modo divinam consequentes essentiam, cum per imperfectionem Intellectus humani conjunctim nequeant expendi, distinctè repræsentantur.

S. D. G.







ornamenti est, dicitur; hanc inquam concessio-
 nem inter privatas quoq; ab integra gente nun-
 esse reponendam, in primis eo, quod jam in Ba-
 XI. unius R. Afai de studiis muliebribus sententia
 improbata & ipse denique R. Abhhu l. c. Talmu-
 te a R. Johanne derivanda valde se torquet, ut
 ne omnium, integrum Talmud. Hierosolym. ea-
 id quaquam pollere existimatione, ut illi soli si-
 m addixerint. Quibus ita comparatis elucescit
 in foeminas cum a sacra tum etiam profanae litera-
 ere ex Magistrorum suorum sententia exclusas,
 nimis praesto sint documenta contraria, ea rectius
 aria esse numeranda ipsamque eruditionem earum
 furtivam magis quam Doctoribus probatam dici
 in omnia, utrum aequitati congruant, ipsi videant.

XX.

to fuit & longe diversa Apostolo Paulo & Ecclesiae
 prima mens ac sententia. Nam licet constanter in ea
 coetibus silentium foeminino sexui fuerit imposi-
 tum absfuit, ut, sive ex contemptu, sicuti Judaei solent
 quod non creati sint foeminae, gratias agentes, sive
 enim plane nullam fuisse ex. Tim II. 11. & 12. patet,
 in saerarum literarum intimiorem cognitionem &
 is communicare noluerint, ut potius *εἰς μαθησίαν*
οὐ τὰς ἰδίαις ἀνδρας ἐπιτερωτῶν, seu uti verba sonant
ἐν χάριτι μαθησάμεν ἐν φόβῳ ὑποταγῆς jubeantur, *ἐν φόβῳ*
κυρίου judicetur, 1. Cor. XIV. 34. sqq.; Quibus
 itis simul officium, mulieres, cognitionis uberio-
 cupidas; instituendi & intra privatos parietes do-
 mus imbuendi injungitur. Amplius, dum seniores
 ut *καλοὶ διδάσκαλοι* sint junioresve dictis factis
 uant, serio admonentur non modo potestatem
 aliunde

